



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Odilo Abbas. 1. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

niis Sodalibus, quòd virgo vixit. Ex Surio.

*Va tradentibus Christum ad crucifigendum; sed va-
cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus
illum. S. Remig. super Matth.*

S. O D I L O A B B A S.

1.Januarii.

Puer ODILo in D. VIRGINIS perreptavit clau-
dus, exivit sanus; & cùm ire jam quò vellet,
posset, pulchrè pedibus, quos cælum donavit,
usus, è mundo abiit, & Religiosam domum iniit.
Subinde Præfetus Ascererio Cluniacensi, osten-
dit, quàm facile imitari Christi nūractula foret illi,
qui vitam veller. Aquas quippe eunti sibi in so-
lum, aliis etiam in vinum vertit, pīscibusque non
multis bene multam pavit multitudinem. Inter
primas curas habuit, piorum Manibus opitulari,
quos flammæ piacularēs haberent. Id adeò fassus
ipse est orci tortor, quem Siculæ quispiam eremi
incola non semel querentem audiit atque indi-
gnantem innumeros à pœnis suis ODILONIS ab-
solvi precibus. Eos inter Benedictum numerant
VIII. Pont. Max. qui opem & ipse viri imploravit,
& verò sensit etiam, ac gratus palam laudavit. At-
que hoc stimulos subdidit ODILONI, ut sui quot-
annis diem agerent piarum animarum memoria
insignem; quod institutum id temporis uni illi
familiæ familiare totus hodie Christianus orbis
amplectitur. ODILONI nostro morienti præsto
ipse Christus fuit, Stygiasque larvas cum suis ter-
riculamentis longè jussit facessere. Nimirū quam
opem mortuis vivi ferimus; morituri & ipsi sen-
timus. Ex Surio.

*Disce humilitatem, quam Christus verbo docuit &
exemplum*

exemplo; disce obedientiam, quam patri suo exhibuit & Matri; disce virtutes cæteras; ut vitæ lumen in te valeras possidere; Christum sequere, Christum imitare, ut ad ipsum pervenias. B.Laur.Just.de interiore conflictu.

S. MACARIUS ALEXANDR.

2.Ianuarii.

Hunc MACARIVM nomine suo Alexandria; himò fallor, suo ille Alexandriam beavit. VII. annis sine cocto edulio, sine omni somno dies XX. quadragintadiæle jejuniūm sine omni cibo transegit. Satur intèrēà cæli deliciis, & piis nunquam non lacrimis ebrios. Inter hæc Cupidinem bella sibi moventem aggressus, culicum præsidio corpus cinxit; quos inter cùm sex adeò menses nudus decertasset, horū aculeis longè hostem submovit. Quid multis? brevi tam parvo milite ingentem, & formidandum tyrannum debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacrilegâ Venere, & qui in pœnam afficti corpore serpebat, cancro eâ lege absolvit, ut ne porrò sacrificaret impurus. Nec in homines solum pius, cæcum feræ, nescio cuius, partum sputo suo illitum lumine donavit, oviculæ exuviis à gratâ parente vicissim donatus. Inter precandum ita se ipsum fertur adhortatus: *Anime mi, ne te in terras è calo demitte: ibi Deum & cum Deo Dei aulam omnem habes.* Viderat nimirum quandoque, quām multiplici dolo astuque turbare precantium animos malus hostis niteretur. Ob hæc aliaque ejuscemodi prædicantibus verè MACARIVM, hoc est beatum, ut qui mundo tam bellè illuderet, illud responsi dedit, caverent, ne ipsis mundus illuderet. Vivere porrò desit, cùm an-

num